

C B M

1 5 8 9

facultatis
derefacultatis
huncno

cu

qu

du

R XVII. TO. n. 397.



4524

COHORTA
TIO AD CONCOR

DIAM PIETATIS, AC DOCTRI

nae Christianae defensionem, missa in pa-

triam S. ab ALEXANDRO

ALESIO Scoto, *sacrae*

Theologiae do-

ctore.



LIPSIAE

IN OFFICINA VALENTINI

PAPAE, MENSE MALO,

ANNO

M. D. XLIII.

JOHANN
FÜRST
VON
SACHSEN
WEIMAR
UND
EISENACH
1714

VERMÄCHTNISS
TESTAMENT
VON
JOHANN
FÜRST
VON
SACHSEN
WEIMAR
UND
EISENACH
1714

COHORTA

TIO AD PACEM ET VERAM
CONCORDIAM, IN CONSEN-
sione pietatis & doctrinae Christianae, ad prin-
cipes, antistites, proceres, & uniuersum popu-
lum regni Scotici, ab Alexandro Alesio sa-
cræ Theologiæ doctore edita, studio pie-
tatis & affectu caritatis erga
patriam S.



AGNO VEL PO-
tius ingente dolore
affecit me nuntius di-
scordiae quæ inter uos
uiri reuerendissimi, il-
lustrissimi, clarissimi,
obseruandiss. atq; ca-
rissimi, orta, crescere etiam tum ferebatur: Non
modo considerantem quantum esset in hac ipsa
per se miseriæ atq; calamitatis & quàm multa
quàm potentia regna tuta ab omni ui externa
hæc labefactasset atq; euertisset, sed respicien-
tem etiam animo meo ad res gestas à nostris &
recordantem exempla domestica. Atq; ille qui à
discordia deuorari gentes & bene etiam funda-
tas familias affligi, Et qui concordiam dixit esse
numen præclarissimum, uterq; diligenter in o-
pera & effectiones quietis ac turbulentiae intui-

tus fuisse mihi uidetur. Nostrum uerò regnum
quasi documentum esse potest euentuū eorum
quæ ipsi tristissimi dissidia semper sequi consue-
uerunt. Ac uenit inter hæc mihi in mentem He-
rodoti summi uiri sententiæ, quam posuit in li-
bro cui nomen Vrania. Vbi dicit Athenienses
non modo uirtute sed sapientia etiam præstan-
tes uiros cum socij detrectarent imperium ipso-
rum & Laconum auspicijs duci aduersus Me-
dos uellent, cessisse multitudini, quod animad-
uerterent in discordia Græciam conseruari illis
temporibus non posse. Verissima inquit Hero-
dotus, ratioe utentes. Nā seditio intestina bello
contra externos unanimi consensu suscepto tan-
to est deterior quanto bellum ipsum pace. Diui-
na sententia hæc est & omnium principum con-
sideratione digna. Non multas nationes enim
præsertim uirtutis studiosas, armis & ui bellicæ
expugnatas atq; captas comperimus, sed hic fuit
interitus potentissimorum populorum, conuer-
sæ dexteræ in uiscera sua, & mutæ quasi in lu-
do gladiatorio confectiones. Quapropter cum
& huius pestis exitia quæ afferre soleret, & e-
uenta patriæ meæ cogitatione complecterer, ad
nuntium discordiæ, ut dixi, uestræ mirabiliter
consternatus fui. Cum autem inter alias dissen-
sionum causas audissem memorari studiū quod-
dam partium in religione, accessit grauissima
cura atq; sollicitudo ad dolorem meum, cum an-
gerer

gerer mirifice animo meo, & uererer quorsum
hæc euasura essent. Itaq; tum id quod unum mi-
hi concedebatur, & ipse æternum Deum pa-
trem unici saluatoris nostri Iesu Christi, ueri
Dei, preatus sum & alios pios ad orandum
mecum corrogau, ut Deus pater domini nostri
Iesu Christi, suo sancto spiritu omnium uestrum
corda & intelligentiam conuertere uellet ad lu-
cem ueritatis, et dirigere pedes uestros in uiam
quæ sola & unia ducit ad uitam: Hic est Chri-
stus qui ait ipse, Ego sum uia ueritas et uita. Po-
stea uisum etiam mihi fuit nullum officium quo
patriæ tam difficili in tempore operam nauatu-
rus uiderer, esse à me negligi oportere, atq; ita
cum quid præterea facerem nihil reperirem,
hanc absens ad uos concionem conscripsi, cum
quidem, quasi istic in conspectu uestro starem &
excellencia atq; dignitas, & grauitas, & cari-
tas quoq; nonnullorum uersaretur ante oculos
meos. Sed multò magis atque uehementius me
Dei ipsius quasi uultus mouit, coram quo &
hæc à me dici & omnium reddendam esse ratio-
nem scirem. Quapropter à uobis peto, ea quæ
ab unoquoq; summissione & reuerentia debeo,
ut nihil me hoc facto quæsiisse, nihil proposi-
tum mihi fuisse credatis, nisi communem omniũ
salutem & patriæ commoda, quæ ut par est,
non patitur me in discrimine hoc ipsius secu-
rum esse & ociosum. Ac fuerunt fortasse refe-
rendi

rendi rumores qui apud nos de uobis & dissi-
dijs istic natis, sparsi sunt, ne quis existimaret
me uano terrore, correptum temere aggressum
esse hoc opus cohortandi uos ad pacem & con-
cordiam, & ut quasi fundamenta quaedam nar-
ratione iacerentur futurae orationis, Sed mihi
propter quaedam siue uera seu ficta tegenda
potius quam aperienda, his exponendis super-
federe uisum. Peto autem à uobis ut meae hoc fi-
dei credatis nisi omnia atrocissima & quaedam
horrenda quoq; allata ad nos fuissent, facturum
me fuisse ut in silentio precibus incumberem.
Nunc metus & anxietas in summo periculo pa-
triae quae uiro bono sua uita esse carior & anti-
quior debet, uocem etiam mihi expressit. In
quo si quid est reprehendendum, illud pro-
pter affectionem pietatis erga patriam meae à
uestra uirtute atque sapientia ueniam inuentu-
rum facile esse confido. Ordinar autem à re ipsa
id est, discordia & dissidio cuius fama ad nos
peruenit tristissima. Atq; cum cogito, hanc ferè
pestem inuenio immisisse iratum Deum sceleri-
bus & impietati hominum quos punire uellet.
Dissidijs inquam constat potentissima regna dis-
sipata, florentissimasque ciuitates uastatas esse.
Primum enim dissensiones oriuntur uel inter
reges & eos quorum hos ope & ministerio cū
pacis tum belli munera exequi necesse est, uel
inter principes aliquas familias. Hinc alienatio-
nes

nes incredibiles sequuntur, & mox defectiones
& secessiones, & partium insana studia. Qui-
bus uel mutuis grassationibus respublica confici-
tur, uel externis proditur. Sic regnum Medo-
rum destructum fuit conspirante Harpago cum
Cyro. Sic Babylonium regnum, Gobrya & a-
lijs iniuria ac contumelia adolescētis regis uexa-
tis, & se cum Cyro coniungentibus corruit.
Nonne autem Darius quem Alexander Mace-
do uicit, à suis etiam trucidatus fuit? Post Ale-
xandri uerò mortem quæ miseria seditionum
consecuta fuerit omnibus est notum. qua quidem
Romanis ad obtinendum imperium orbis terra-
rum uia patefacta fuit. Hoc etiam ipsum, quid
conuellit nisi dissidium quasi præcipuorum in
uno corpore membrorum? Quid ego de popu-
lo peculiari Dei dicam? Quæ horribiliter Deus
seditionibus disiecit atq; disturbauit, scisso hoc
sub Salamonis filio in partes duas, ut notum est
omnibus. Poteram similia referre & alia, sed
in medio sunt, proh dolor, domestica exempla
nimis multa. Quod ijs temporibus enim quibus
Eduardi in Anglia regnarunt & Alexander
Alexandri filius rex noster mortem obiit, quod
igitur tum incendium partium studia & con-
iunctiones quorundam cum externis, & ambi-
tionis exitiale malum excitauerint, equidem nõ
sine lacrimis recordari quenquam posse existi-
mo, cum in hoc quasi naufragio patriæ nostræ

tot illustrium & fortissimorum uirorum interi-
tus appareant, tot nobilissimæ familie attritæ,
tantum etiam ueluti seminis iactum sit eorum
malorum, quæ nunc quoq; subinde exorientia
Scotiam affligere atq; concutere non desinunt.
Habemus igitur harum rerû imaginem et pictu-
rã nostras calamitates quas intueamur, neq; in-
tueamur modo, sed harû etiam contemplatione
studeamus effugere consentiẽdo ea quæ dissen-
tiendo maiores sibi nostri accersuerûnt. Sed de
his reb. paulo altius petendû est exordiû dispu-
tationis. Etsi enim regnorû mutationes & ciui-
tatum interitus & conuersiones rerumpubli-
cum communes sunt omnium temporum, causse
tamen à prudentibus eò diligentius exquiren-
dæ & notandæ sunt quò minus uulgus his moue-
tur, quòq; magis harum cognitio ad regnorum
& ciuitatum custodiam esse necessaria depræ-
henditur. Vt hominum magna pars quia solem
cotidie, lunam multis noctibus cernit oriri nihil
quærit amplius, Ita in uita etiam reliqua negli-
gens est. At docti & prudentes uiri, rationem
luminum illorum notam perspectãque habere
student, ut discrimina temporum constare pos-
sint. Quæ igitur sunt causse calamitatum pu-
licarum. Vna profectò est caussa omnium, quic-
quid alij dicant, Hominum impietas & delicta,
quibus irascens Deus cum ad poenitentiam inui-
tati refragantur & opponunt se uoluntati il-
lius,

lius, hanc poenam omnium maximam in terris
& planè capitalem infligere solet. Decernitur
aliquid siderum aspectu, portenditur à cometa
aut alijs ostentis, prædicitur ab ariolis & diui-
nis. Fateor. nam multa & audiui & rescivi ue-
re præsignificata fuisse. Sed non sunt hæc præ-
cipuæ causæ. Quin etiam uir prudens peritus
historiarum quàm multa præsentire potest in
futurum? Atq; hic etiam causas aliquas colligit
sed nimis continentes & connexas cum euentis.
Scribit Polybius admirandum sibi uideri qui
fiat cum toties errent homines, quod non ferè
posteriores reddantur cautiores. & putat ideo
hoc accidere quia non legant historias, neq; stu-
deant cognoscere & habere in promptu aduer-
sos casus in quos priores aliquando incurris-
sent. Præclarè ille hoc quidem. Sed quid quod
sapientissima consilia, & uirtutis actiones ipsi-
us sæpe retunduntur, sæpe infortunatæ sæpe
etiam calamitosæ sunt. Hanc causam sapientia
humana non exquisiuit, Demonstrátque solus
Deus uerbo suo. Quo docemur hunc peccatis
hominum grauissime irasci neq; pati esse impu-
nita, nisi opponat se filius ipsius & placet pa-
trem, ipse medius consistens inter iudicium Dei
& delicta hominum. Hæc est sola fuga malo-
rum & copia salutis. Gratuita inquam miseri-
cordiæ diuinæ beneficentia, qua nobis non so-
lum supplicium condonatur, sed præmium et-

iam tribuitur & in hac uita successuum præcla-
rorum & post mortem uitæ sempiternæ. nobis
inquam nihil tale meritis sed reconciliatis &
commendatis Deo à Christo, cuius sanguine o-
mnium est abluta impuritas qui in eum credunt,
& fidem habent Euangelio ad quod annunti-
andum & ipse in hunc mundum uenit & suos
Apostolos per uniuersum orbem terrarum le-
gavit. Sed de his nunc dicere institutum non est.
Verum ab hac fide uel uoluntate & proposito
recedentes, uel aberrantes quocumq; modo, cle-
mentem ac propitium nequaquam sed potius in-
festum Deum habent. Hos & in hac uita punit
alios alijs grauius, & post hanc uitam æternis
supplicijs est adiudicaturus. Ut autem regum
ac principum conditio & status est insignior et
altior, ita horum etiam sunt pœnæ magis con-
spiciuæ atq; tristiores. Horum sunt enim tragi-
ci illi casus, Pharaonis, Absalonis, Pelopidarum,
Iasonis, fratrum Thebanorum, & his alij simi-
les. Quos qui uitare, & illos cum his nullo mo-
do ob magnitudinem conferendos æternos cru-
ciatus euadere uult ac cupit, conuertat sese ad
misericordem Deum, cuius benignitas totam ter-
ram opplet. Hunc pœniteat impietatis & ma-
lorum facinorum. Hic audiat Euangelij lætum
nuntium: Remitti peccata omnibus credentibus
Christo. Quid uerò postea? id quod diuus Pau-
lus scribit Romanis, Si Deus stat pro nobis,
quis

quis aduersabitur? Qui quidem proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, An cum hoc non uniuersa nobis gratificaturus esse uideatur? Hæ igitur causæ sunt & felicitatis & calamitatum, conuersio ad Deum per fidem in Iesum Christum, et auersio à Deo in impietate & peccatis, id est in uita quæ degatur secundum cogitationes animi nostri & affectus carnis, quam Deus odit. Quidam iniqui ueritati & patroni errorum atque expolitores mendaciorum, quid faciunt? Ne redeant uel ipsi uel alij in uiam, duces sunt cæci cæcorum ad interitum. Néue consilesant unquam tumultus ac tranquillentur tempestates reipublicæ, pergunt turbare porrò & addere flammis materiam. Hi grauitatem mirificam simulantes & elatis supercilijs, disserunt miseriam omnem horum temporum de nouitate doctrinæ existere atq; creari. Non ostendunt quæ sit nouitas illa, sed uerbo odioso onerant studium eorum qui diuinitus excitati, & paulo antè detegere errores, & ueritatem demonstrare cœperunt. Sed si nunc primum ita fieret ut laborarent respUBLICÆ, & cum præsentibus malis premerentur, tum impendentibus trepidarent, fortasse poterant isti conqueri de nouitate, ut aiunt, doctrinæ. Nunc qui repetere animo uetera uoluerit, is reperiet semper Deum, cum patienter tulisset annis pluribus facinora mala hominum, tandem

dem

dem augeſcente impietate & delictis creſcen-
tibus iuſte iratum ad puniendos impios & ſce-
leratos uiam hanc ingreſſum fuiſſe, ut prius ſa-
lutari doctrina ſparſa inter homines, de ijs quos
perſeuerantes in impietate condemnaturum ſe
eſſe conſtituiſſet, ſepararet pios & credentes
uerbo ſuo, qui in fide erga ipſum conſeruari-
tur. Hanc rationem cuſtodiuunt perpetuo, ut te-
ſtantur omnium prophetarum hiftoriae, & in-
primis ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Non au-
tem unquam aliter factum fuit neque nunc fieri
etiam poteſt, neq; poſthac futurum eſt, Quam
ut caſtigatores & repræhenſores impietatis,
cum eſt illa iam corroborata & planè conſtitu-
ta, iudicentur eſſe turbatores pacis & tranquil-
litatis publicæ. Ideoq; & Chriſtus ipſe ſeditio-
nis crimen ſufferre coactus fuit. Et quid talibus
temporibus accidat ſimilitudine armati tuen-
tis ſua, præclare docuit. Sedet ille in domo ſua
quietus, ſed ita animatus & ita paratus ut defen-
dere eam armis uelit, ſi opus ſit. Non igitur de-
ijci hic poſſeſſione ſine turba & tumultuatione
poteſt: Si errores inualuerunt, ſi mendacia ſta-
bilita ſunt, ſi impietas confirmata eſt. Donec ne-
mo repugnat, placida ſunt tempora. Cum exci-
tat Deus precones uerbi ſui & emittit ſpiritum
ſuum, tum illa tempeſtas oritur, & omnia concu-
tiuntur atq; tremunt. Quorum autem eſt cul-
pa? In fabulis AEſopis accuſat ſc. in noctua
&

Et execratur lumen ipsius, Nam ego inquit, te
ex oriente excæcor, Cui sol respondet, non se es
se in causa, sed oculos illius impatientes lucis.
Etiam sana doctrina et ueritas illucescens, re=
primit et percellit uanitatem et mendacia, sed
agnoscere debebant qui tanguntur, suam esse
culpam propriam, et anniti potius ut emenda=
rent uitia, quàm horum patrocina quærere, et
defensionem comminisci. Sic nunc quidam clami=
tant nasuti, deridentes ueritatem doctrinæ et
emissum atque declaratum nobis uerbum Dei,
Ante hanc nouitatem (sic enim inuidiæ mouen=
dæ causa antiquissimam uel potius sempiter=
nam ueritatem, ignoratam et suppressam ali=
quantisper, appellant) nihil fuisse mali in Chri=
stianitate, non bella, non famem, non pestilen=
tias, non exterarum gentium formidinem ne diu
irruptiones. Sed sunt memoria hi mala, et
quamuis nasuti, non odorantur rem ipsam, sed
ut canes non sagaces aberrant à uestigijs illius.
Concedo tamen uix ante unquam in his parti=
bus Christianitatis tantum et aduersorum ac
tristium, et metus atque sollicitudinis concur=
risse. Sed non fuit usq; adeo etiam unquam accu=
mulata impietas et exaggerata peruersitas ho=
minum. Huic tamen nefarie assentari contra ue=
ritatem audent quidam adhuc miselli doctorcu=
li, ita parati ut, dictu nefas, potius de cælo Chri=
stum deturbare uellent, quàm deserere con=
sionem

sensionem & sodalitium impietatis: uel quia
ita sunt in errore obstinata uoluntate, quod
est horribile, uel quia metuunt dignitati aut
etiam uentri. Sed si autores malorum cum qui-
bus Christianitas iam infinitis acerbe confli-
ctatur, quærentur, non illi qui impietatem dete-
gunt & accusant, qui ad pœnitentiam & re-
uersionem in uiam omnes cohortantur, culpan-
di sunt, uerum ij potius qui & introduxerunt
impietatem & mendacia & illa auxerunt, qui-
que nunc etiam fouent. Hi pacem quam Deus
promittit & largitur, turbant. Hi famem uerbi
Dei, quo uita imprimis sustentatur, terris immit-
tunt. Hi Turciam rabiem adiuuant, aduersarij
uerbi Dei qui est Iesus Christus Dominus &
saluator noster. Existunt atque oriuntur nunc
quasi de terra fraterculi quidam gigantum, re-
uera baceli & cochleæ cum desipientes & ua-
gantes animis tanquam in densiss. caligine, &
sua salua fœdantes omnia tenera germina ue-
ræ doctrinæ. Qui hoc unum student atq; conan-
tur ut ad incerta & fluxa quædam retrahant
intelligentiam & sententiam hominum. Ut pri-
orum omnium commenta & somnia fulciant, &
super illis aliorum similium extructiones procu-
rent. His nefas est quicquam uertere aliter
quàm hactenus lectum fuit in sacris literis.
quia, inquiunt, Ecclesiæ autoritate illæ transla-
tiones sunt approbatæ. Nec possunt ineptiss.
homi

homines dicere, quænam aut quorum sint illæ translationes approbatæ, ut aiunt, ab Ecclesia, neq; quàm Ecclesiam uocent cuius tanta auctoritas esse debeat. Quod si intellectum nostrum, si sententias, si iudicium seruire obnoxie necesse est, ullorum hominum in terris definitioni, autoritatiue, dicam etiam consensui, quid opus est liberali educatione, quid studijs literarum atq; artium bonarum, quid eruditione doctrinæ? Claudamus oculos mentis nostræ. credamus esse hoc ambulare simpliciter (quam uiam esse omnium opt. uolunt) nescire unde progressus sis & quò tendas. Hoc illi nimirum egregij defensores Ecclesiæ uolunt, hoc agunt, hoc moluntur. Lucem ueritatis passim emicare animaduertunt, & detegere atq; conspicuam reddere multorum ignorationes, incogitantiam, negligentiam, errorem, etiam stultitiam, temeritatem, improbitatem, fraudulentiam, iniurias, deniq; impietatem & diuinarum humanarumq; rerum confusionem. Non possunt aliter barbariæ & superstitioni consulere quàm tenebras offundendo ueritati & obuelando oculos hominum. Vocant illa paulò superioribus temporibus usurpata simplicia. Vocant studiorum bonorum cultum, curiositatem. Hæc ipsa quæ benignitas misericordis Dei nostro sæculo contulit ad assequendam ueritatem in religione & communi uita, cognitionem linguarum ad ueterum scripta
cogno

cognoscenda, exagitant. Hos si audimus retinea-
mus domi nostræ pueros nostros, in nullos lu-
dos mittamus, non curemus imbui literis atq; ar-
tibus bonis. Id quidem isti optarent fieri, sic e-
nim ipsi luscii inter cæcos regnum obtinere faci-
le possent, ut sperant. Sed frustrabitur hæc il-
los spes, opinio autē est profectō falsissima. Eo-
n. euasit audacia & temeritas superstitionis et
imperitiæ, ut si homines taceant, iam saxa uocē
accusatricem emissura esse uideantur. Sed cum
illis necquicquam disputamus, fiunt enim uer-
ba ijs qui aures & animos obturarunt, & sunt
ex eorum genere qui solent *ὄλιον κέρυ αἰσῶς
πλὴν ἀλήθειας*, à quibus omnibus temporibus re-
gna, ciuitates, Ecclesia, omnes communitates, la-
befactatæ & perditæ fuerunt. Nos uerò con-
templemur, quo in loco nunc sint res humanæ,
& ad suam quisq; gentem atq; patriam impri-
mis oculos uertat. Quid enim nugamur aut as-
sentamur uel nobis uel alijs tam diu? profectō
Deus non irridetur. Quid igitur est? Omnia
sunt plena ubique miseria & malis. Esto. Deus
igitur iratus est mundo. nam propitij certe
Dei hæc signa non sunt. Quæ igitur facinora
prouocarunt atque prouocant iram diuinam?
Non faciamus ut mulierculæ ac pueri, quorum
propter sexum ætatēque leuis sententia est.
Qui depræbensi in delictis; omnia exquirunt
atque tentant quibus à se crimen deriuare pos-
sint,

sint, & homines, bestias, loca, tempora, deniq;
omnes res insimulant potius quàm se peccasse
fateantur. Deus autem confessionem exigit à no-
bis. hanc pro singulari cultu suo nobis propo-
nit. Confiteri enim nos vult delicta nostra, &
honorem hunc sibi habere, ut tanquam à medico
petamus curationem vulnerum nostrorum. An
est autem obscura fœditas horum? non dicam
de singulorum priuatis flagitijs aut sceleribus,
De publicis dicam & ijs quidem grauissimis im-
pietatis. Vbi igitur integra doctrina fidei re-
mansit, ubi non mendacia & errores illam cor-
ruperunt. Quæ dominatio usurpata in Eccle-
sia, qui conscientiarum carcer extractus fuit?
Quid ego de ritibus & ceremonijs dicam? o-
mnia constat superstitione & impietate turpis-
simè fuisse contaminata aut prorsum depraua-
ta. Incipiamus si placet, à summo Dei cultu, ado-
rationis seu inuocationis. De quo scriptum est,
Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Quæ
igitur illa fuit hætenus in Ecclesia, & nunc à
quibusdam proteruo ore & impudica fronte
defenditur? Ne obsecro ludamus in re tanta.
Scio quid dicant. an non semper Deum inuoca-
uimus? An non ad illius nomen celebrandum o-
mnia à nobis fuerunt destinata? Nonne & hunc
in ipso & in sanctis eius coluimus? & his simi-
lia. Aduocant multa undiq; testimonia, & rem
mirabiliter inuoluunt. Quam nos explicatam in-

B

tueamur,

tueamur, non enim tantum in his uniuscuiusque corio, ut aiunt, periculum imminet, sed & anima ac uita eaq; sempiterna in discrimen uenit. Neq; sunt hæc eiusmodi, de quibus in utranque partem disputatis laus ingenij quærenda sit. Valeat probeturque in alijs hæc ingenij uis & γλωσσα ἀντίθετος, ut ait Nazanzenus, In Theologia habeatur pro maximo malo, in qua omnia debent esse recta, simplicia, certa, nota. Videamus igitur quæ fuerit inuocatio & adoratio Dei, quò se ora & corda conuerterint. An putamus nos uerbis & simulatione Deo satisfacturos esse. Non ille nostras excogitationes in suo cultu probat, non delectatur ueneratione à nobis exquisita & constituta, sed sui uerbi nos præscriptionẽ sequi, & se audiri imperat. Vnde igitur placationes & sacrificia illa nefaria nata fuerunt, quæ in angulis priuatim uidemus peragi, non modo iniussa, sed etiam uetita uerbo Dei. Quæ fuit hæc adoratio quæ inuocatio obsecro? Vbi mandata? Nusquam profectò. Vbi uerò prohibita? Ibi ubi prohibetur discessio à uerbo Dei. ubi idololatria. ubi profanatio sacrorum. ubi nundinæ in templo Dei. ubi operum et dignitatis hominũ coram Deo ostentatio. An uerò hæc in missis priuatis insunt? Ab alijs iam est hoc demonstratum planius. Quis autem nescit aliam esse institutionem huius sacratiss. sacramenti, à quo recedere quanta & quàm

quàm scelerata audacia existimanda? Quis autem non in his missarum sacrificijs statuit multa idola, primum fiduciam operis sui, deinde multos sanctos illos quidem sed homines tamen quorum memoriam repetens quæsiuit intercessores apud Deum, qui nobis unicum proposuit mediatorem Iesum Christum. Hæc quàm multi immò plurimi etiam proposito & uoluntate impij tractarunt, tuti atq; defensi ordinis solummodo autoritate. De meratu quidem est res manifesta, nam uenditæ certè istæ operæ missariæ strenue fuerunt. Quoties igitur uenijt Christus & quanto uilius quàm à proditore Iuda? hæc breuiter quidem à me commemorantur & simpliciter, sed sunt ingentia atq; inestimabilia peccata & scelera. Accedit huc exaggerata hominum mortuorum inuocationis, contra mandatum Dei, horribilis impietas, colloca-tione statuarum & imaginum & consecratione in templis. Quid ego dicam de figmentis peccatorum & terriculamentis conscientiarum & propositis redemptionibus horum? Quid de purgatorij fabulis? Inspiciamus ritus ceremoniarum, primum si placet illos sanctos atq; immutabiles sacramentorum, Quis potestatem fecit hominibus, ut uel dimidiarent, quemadmodum fecerunt de cœna dominicæ. uel nefaria temeritate prorsus corrumpèrent, ut in pœnitentia & potestate clauium accidit. Quid autem de alijs ce-

remonijs dicam? quibus neq; utilitas populi qua
sita, neq; disciplina compræhensa, neq; ordo con
seruatus fuit. ut Ἐ εὐτακτορ, Ἐ εὐχρημορ Ἐ
εὐπροσεδρορ, in cultu Dei custodiretur. Sed
omnia in superstitione ad expilationes compa
rata fuisse notissimum est. Quid ego de coniu
gio dicam, quod sacerdotibus ademerunt, con
tra manifestam Ἐ naturæ legem Ἐ Dei uolun
tatem. Nam cuius illa consilia sint quæ nuptias
celebrari prohibent, de diuo Paulo, si quis
nunc etiam ignorat, cognoscere poterit. Non
inquiunt, prohibentur nuptiæ, sed præfertur
his castitas in ordine sacerdotali qui est summus
Ἐ diuinus quidam. Sic ludit mendacij pater Ἐ
autor talium edictionum satanas, Ἐ his fraudi
bus inuertit ordinationem Dei. Certe probi
bentur sacerdotibus legitimæ nuptiæ Ἐ matri
monij contractio. At hæc sunt diui Pauli uerba,
Spiritus diserte dicit, futurum ut extremis tem
poribus deficiant quidam à fide, attendentes
spiritibus erraticis Ἐ doctrinis demoniorum,
per simulationem, quorum sunt mendacia uer
ba, quorum est propria conscientia adusta, quo
rum sunt prohibitiones nuptiarum, Nonne adi
guntur sacerdotes ut iurati promittant se uxo
res ducturos non esse, ita enim omnes interpre
tantur castitatis illam promissionem. Neget iam
aliquis, nuptias prohibitas esse, quia uulgo con
cessæ sint. Sed horribiliter sese est ultra hæc in
stitutæ

stitutæ

stituta diuinitus & naturalis coniunctionis ma-
ris ac foeminae distractio, Atq; quosdam infeli-
ces inscientes etiam huic miseriae implicuit.
Quid enim turpitudinis & foeditatis sub huius
castitatis praetextu perpetratum sit, pudet pi-
getq; memorare, neq; adeo necesse est, cum sint
illa facinora iam notissima. Neque non quidam
semper aliquo saltem modo ad coniunctionem
hanc sese ab illis impuritatibus retulerunt, &
quas non uxores quidem suas nominare ausi fue-
runt, pro uxoribus tamen quasdam saepe multo-
rum puerorum matres secum habuerunt. Qui-
dam uero magni & potentes, ne dissimularunt
quidem magnopere, uel matrimonium uel simi-
litudinem huius, cum suarum foeminarum cultu-
tum liberorum amore & cura. Cuius rei & i-
psius, si necesse esset, usurpatae in patria nostra
exempla referre possem. Videmus igitur in his
naturalis necessitatis uim. Et confessionem quan-
dam iniustae legis de uetito matrimonio. Nam
quicquid feratur, quicquid sanciat, reclamatur
tamen & refragatur sensus naturae, diuino et-
iam uerbo confirmatus. An non igitur hic furor
est, uelle interdicto tollere hominem ex homi-
ne? An haec a quo orta sint dubitamus? Non pro-
fecto a Deo qui Naturae est & autor & instau-
rator & conseruator, Sed ab aduersario huius
Satana, qui omnes occasiones exquirere solet,
ut naturam pessundet & illam ad abusum per-

niciosum atq; exitialem detorqueat. Quis pote-
rat esse pestilentior abusus, quàm abstractio-
nis à societate prima & præcipua non modo hu-
mani generis, sed animantium omnium? Vt hinc
auersam uiri impulsionem & appetitionem
suam conferrent, ad ea quæ neq; memoranda o-
ratione neq; litteris mandanda sunt. O rem u-
nam multipliciter maiora supplicia quàm ala-
mitates nostri temporis meritam, & expertu-
ram etiam nisi pœnitentia nostra iram Dei
quæ præ foribus est molliamus. Hæc igitur in
Ecclesia et alia insuper complura uitia cum in-
dies fierent maiora, & in corpore hoc sancto
serperent illa κακοήθεια et γαργαρινικά ulcera,
cūq; non multum Christiana communitas abes-
set ab interitu, benignus Deus & misericors pa-
ter Domini nostri Iesu Christi, ante quoq; qua-
si per nebulam ostensam lucem ueritatis, & iu-
bar Euangelij his difficillimis & extremæ cor-
ruptionis temporibus, plenum et purū exoriri
& apparere hominibus iussit. Quid igitur est
factum? Cum incredibili dolore dico sed dicen-
dum est, non enim humanum sed diuinum nego-
tium agitur. Ii quib. commissus esset grex Chri-
sti quasi pharisaicum consilium omnes suas cogi-
tationes & uim mentis intenderunt, ut Euange-
lij splendorem uel opprimere uel radijs saltem
illius obstruere possent. Cum admonerentur of-
ficij sui, cum ad pœnitentiam & correctionem
uite

uitæ errorumq; ueterum inuitarentur, non modo non submiserunt ceruices iugo uerbi Dei & agnouerunt delicta sua, & conuerterunt se ad uocantem Deum, sed etiam superbissime sese exrexerunt, cohortantes mutuo ad dirumpenda illa diuina uincula obedientiæ Euangelicæ, Quærentes omnium etiam manifestiss. errorum defensionem, magno conductis audacibus quibusdam ardelionibus & impudentibus synophantis, & assentatoribus plusquam gnathonicis, qui pro suis illis impijs & idololatricis obseruationibus, qui pro doctrina falsa & mendace contra ueritatem qui est Christus propugnarent. Pios autem & fideles, qui os aperire audent & mutire aduersus furorem impietatis, iugularunt crudelissime aut terrore suppliciorum ac pœnæ dispulerunt & extorres egerunt laribus ac patrio solo: Non auditos sæpe nedum conuictos, sed arreptos pro turbulentis & labefactoribus reip. & qui præsentem statum conuellere niterentur. O nimis manifestas & euidentes causas calamitatum quæ utinam consistant hoc fine. Quid quærimus alias quid circumspectamus? Prior uita referta fuit flagitijs & sceleribus. In Ecclesia Dei regnauit impia superstitione. Honor & gloria Iesu Christi, per quem & instaurare ruinam mundi & reparare collapsas res Deus uoluit solum, quem & iudicem destinauit uiuorum & mortuorum, iacuit

demersa in cœno superstitionum & mendacio-
rum, & impia barbaria. Huius nomen cum cele-
bratur, cum prædicatur, cum detergetur fœdi-
tas quæ adhæsit, cum iubentur sese omnes ab im-
pietate auertere & respicere ad Christum, in
cuius nomine unius colitur, adoratur, inuocatur
Deus: Non enim est aliud nomen uel in cœlo uel
in terra quo possit placari Deus: Cū igitur hæc
fiunt, ij plerunq; in primis qui cupidissime pare-
re & obuijs, ut dicitur manibus excipere, sana
monita debebant, acerrime aduersantur. Ergo
priora nihil sunt? Ergo non inuocarunt Deum
maiores nostri, & omnes in peccatis ac errori-
bus interierunt? Tum irritati & cæci cupidita-
tibus suis contra ueritatem sese inferunt. tum
occidunt pios, tum Euangelij professores, &
Christi testes exterminant. Et pro obedientia
contumaciam, pro confessione maledicta, pro
resipiscentia peruiaciam usurpant. Atq; qui-
bus de caussis cœlum & terra trepident adhuc
sciscitantur. Obsecro omnes non prorsus uesa-
nos neq; in impietate suffocatos, Quid aliud exi-
stimandum dixisse & sensisse pharisæos et pon-
tifices cum Christum uellent interficere. An
non & illi clamarunt eum cultum Dei iam lon-
go usu corroboratum labefactare, uiolare reli-
gionem, de templo profanis sermonibus uti.
Ac tandem ut turbulentum & seditiosum corri-
puerunt. An putamus nostri temporis collegia
aut

aut

aut doctiores aut sanctiores habere pontifices
& horum asseclas quàm illud σωέδγιον Hie=
rosolymitanum habuit? Sed nos inquiunt Chri=
stiani sumus? Illi nimirum se Iudæos & filios A=
brahami & discipulos Mosis esse, speciosissi=
mis profectò titulis gloriati fuerunt. Verum
non est credendum maiores nostros omnes er=
rasse. Neq; ego credo neq; aio. Sed Christi di=
cto retundor quo minus hæc curem, Qui admo=
ta inquit manu aratro retro conuertit oculos
indignus est regno cælorum. Permittamus de
illis iudicium Deo Iustissimo iudici, & quod in
manibus est hoc agamus. Nam de inuocatione
& cultu Dei quod quidam obijciunt, se Deum
adorare & uenerari, id etiam Turci dicunt &
faciunt, relinquentes etiam honoris aliquid &
laudis Christo. Quapropter per misericordem
Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, Et
hunc ipsum unicum saluatorem nostrum, per
propriam salutem, omnes obtestor, ne repel=
lant ac refutent benignitatem & gratiam Dei
quæ omnibus per Euangelij illustrem doctri=
nam offertur. Ne respuant ueritatem atq; men=
dacijs potius sese iniurgitent. Inprimis autem
Episcopos & præpositos curationibus Eccle=
siæ Iesu Christi, moneo atq; coram Deo conte=
stor, ut memores officij sui & exequentes mu=
nus suum, pascant ouile Dei uerbo ipsius, & do=
ctrina ueritatis. Vt impietatem, mendacia, su=

B s

persti

perstitutiones, tollant & deleant atq; destruant.
Ne inhiant superiorum temporum uanitati.
Non freti sint traditionibus, quantumuis ma-
gnorum & potentum. Non existiment esse has
controuersias scolasticas, in quibus ludere &
calliditatem ingenij ostentare pulcrum sit. Mul-
tò minus damnent incognita, aut etiam uel mani-
festa errata tueantur, uel iustas reprehensiones
auerfentur. Deus qui illis commisit & credidit
gregem suum de ipsorum manibus singulas oui-
culas reposcet. Hæc, qui non fabulas esse putant
scripta religionis nostræ, ijs maxima & grauis-
sima cura atque sollicitudo incumbit, & uehe-
mentiss. profectò mouet atq; angit animos eo-
rum. Ac quoniam iam aliquoties nouitatis men-
tio facta fuit, quæ perquam odiose exprobrari
nobis solet, uideat, qui uoluerit, in qua parte
nouitas sit. Eorum ne qui Euangelij puram &
sinceram doctrinam amplectuntur & propa-
gant, an qui prioribus erroribus impliciti sunt
aut patrocinantur etiam. Non est propositum
nunc disputare de dogmatibus, aut hoc agere
ut hanc doctrinam probem esse ueram, & ad-
uersarios refellam. alij hoc fecerunt, & alieno
iam in loco fieret. Hoc tamen, si placet, conside-
retur. Quo pacto hæc doctrina noua sit. Nam si
ita noua dicitur, ut nostri saluatoris, quæ est no-
ui testamenti sanguine illius consecrata, non mo-
do non reclamamus sed libētissime assentimur.

Etiam

Etiam si ita noua dicitur ut quæ uetustiores
quosdam errores, quæ superiorum temporum
impietatem accuset, quæ Monachorum super-
stitionem, quæ ociosorum hominum figmenta
ac somnia respuat atque damnet, Ne sic quidem
negamus esse nouam. Sed si quærit quæ uolun-
tas ac sententia sit immutabilis & fixa sempi-
terni Dei, declarata & explicata per filium i-
psius Dominum & saluatorem nostrum Iesum
Christum, de quo paterna uox pronuntiauit,
Hic est filius meus dilectus in quo acquiescit be-
neuolentia mea, & addit mandatum, HVNC
AUDITE: Siq; hanc sententiam & uolunta-
tem annuntiat, proclamat, prædicat, Euangelij
doctrina, quàm multi nunc pij cum periculo re-
rum ac uitæ suæ profitentur, inter quos & ego
numerari repeririq; opto ac cupio: Si assumi-
mus ab Apostolicis temporibus consensum o-
mnium doctorum orthodoxorum ecclesiæ ca-
tholicæ, tam Græcæ quàm Latine, Et ita demũ
audiri nobisque credi postulamus, Si uerbum
Dei simplex & incorruptum, Si ecclesiæ testi-
monia producimus atq; afferimus, Quis iam au-
debit nostram doctrinam ut nouam explodere
atque contemnere? Omnes uolumus perhiberi
Christiani. Christi igitur uocem audiamus, non
heri aut nudiustertius, ut aiunt, id est intra tre-
centos aut quadringentos annos natas auocatio-
nes & seductrices loquelas. Atq; ut iam firmio-
ra &

ra & antiquiora non assumam, Vbi obsecro in
ullo autore non extant adhuc manifestæ indica-
tiones puræ doctrinæ de gratuita misericordia
Dei qua peccata remittantur credentibus Chri-
sto? Etsi illa quidem fuerunt sanè quasi uelis
quorundam inuentionum & additionum oc-
cultæ, quæ nunc quidam ad tegendam ueritatem
expandunt, & in illos scriptores quorum auto-
ritate utuntur, nefarios errores conferunt. Sed
relinquamus hæc. Vbi obsecro aut quorum ue-
terum scriptis Græcis Latinisue, Missarum i-
sta nundinatio, & sacratissimi sacramenti conta-
minatio docetur? Vbi illa fiducia quæ colloce-
tur in sanctis inuocandis, quorum intercessione
freti, & uiuere & feliciter mori possimus? Vbi
adoratio statuarum & imaginum? Vbi illa lecti-
sternia supplicationum? Deniq; ubi est coniugij
prohibitio. Nam quod quibusdam temporibus
& potuerunt & uoluerunt sine uxoribus esse
sacerdotes, de hoc alia est disputatio, neque fa-
ctum illorum deminuere ius totius ordinis de-
bet. Atq; quemadmodum tum res tulerunt ut sa-
cerdotes cœlibes esse uellent, Sic horum tempo-
rum natura & cursus ad coniugia omneshorta-
tur, quosdam etiam compellit. Euoluantur libri
Ecclesiasticorum Athanasij, Basilij, Nazanze-
ni, Irenei, Cypriani, Cyrilli, Augustini, Hiero-
nymi, Ambrosij, addam etiam Gregorij, &
Bernardi, neque Bonauenturam prorsus reij-
ciam,

ciam,

ciam, hoc tamen fiat, non ab eo qui ad calumni-
am & contentionem aduersus ueritatem se com-
parauerit, sed ab attento & pio lectore. Inue-
nientur profectò in his dogmata prorsus ea-
dem his nostris quæ hoc crimen nouitatis à cauil-
latoribus sustinere coguntur. Quorũ sanè quæ-
dam sunt explicata diligentius & magis simpli-
citer & perspicue & diserte exposita hac æta-
te, à quibusdam ad accendendum ignem uerita-
tis, quàm in scriptis ueterum, propterea quod
neq; illi de ijs erroribus & peruersitate ea quæ
postea extitit, quicquam cogitarunt, & in den-
siss. tenebris superstitionum ac uanitatis, clari-
us resplenduit lux ueritatis. Quod si in autori-
bus his fortè quædam occurrant aut colligan-
tur, quæ ad defensionem errorum & uitiorum
atq; falsitatis doctrinæ assumi accommodariq;
posse uideantur, in qua parte nonnulli strenue
laborant & non necessaria opera defatigan-
tur, Quid enim excerptum & exquisitum non
detorqueri quo uolumus possit? Illa tamen cum
sint contraria, horum etiam autorum pietati et
sanctitati, an potius tenebimus quàm sententiã
propriam & certam ipsorum? ut, exempli gra-
tia, inculcant quidam asserentes sacrificium mis-
sæ, *Δυσίαρ ἀναίμακτον* Gregorij, Et pugnan-
tes pro inuocatione auxiliij mortuorum, obij-
ciunt compellationes eiusdem quibus eos quos
oratione sua celebrauerat, etiam orat ut ope-
ram

ram illam sibi probari patiantur, & desuper
benigne aspiciant sese ac populum, Neq; admit-
tunt explicationem horum cum in his, si simpli-
citer & ita accipiantur ut aduersarij accipiunt,
ipsi sibi autores contrarios fuisse constet. Nam
ubi missam oblationem pro uiuis & mortuis es-
se Gregorius dixit? Vbi ille inuocatione homi-
nis quenquam fidere atq; niti debere docuit, Im-
mò ubi non negauit atq; uetuit? Græci cum de
imaginibus illa sub Leone acerr. & cruenta &
indignissima Christianis rixa excitaretur, ad
imaginũ cultum defendendum autoritatem et-
iam Gregorij & Basilij adduxerunt. Cum non
solum nusquam hoc illos sensisse ostendi possit,
sed manifestè etiam Gregorius insectetur ima-
ginum uenerationem in disputatione de Theo-
logia. Sed non sinit nos instituta oratio in his re-
ferendis immorari diutius. Hoc dico, Si quando
uel uideantur uel etiam depræhendantur illi au-
tores, non satis accurate dogmatum, quæ iam
Dei benignitate, illustria & clara & aperta
sunt, ueritatem aut explicuisse aut munijisse, tunc
ab ipsis ut sibi aduersantibus discedendum esse.
Hippocratem aiunt suum quoddam erratum
ingenua confessione indicasse, à quo dissentien-
dum scilicet ea parte fuit. Quàm multa corri-
git & retractando emendat Augustinus? Quid
autem interest utrum ipse aliquis animaduertat
& fateatur errorem suum, an alij obseruent?
ad tol-

ad tollendum quidem errorem nihil aut perperarum interest. Poteram idem dicere de canonicis & decretis, in quibus quàm multæ sunt ecclesiasticorum scriptorũ sententiæ, quàm multæ definitiones synodorum rectæ & piæ, quas certe decet atq; par est, pluris fieri atq; præferri prauis & uel à ueritate detortis uel contra hanc contortis. Sed de his longiorem disputationem requiri animaduerto, quæ ab alijs iam etiam habita fuit. mihi rem quasi digito indicasse satis fuit. Quæ cum ita sese habeat, desinant arguari isti nõ ueritatis sed rixarũ studiosi atque cupidi, et conuectare quasi prædas testimoniorum ueterum. Nam neq; illorũ sententia & uoluntas dissentit à nobis, & pleraq; perperã atq; falso memorantur. Quapropter ita statuere omnes debent, hanc nouationem esse ueritatis antiquiss. reparationem. Ut si in morib. mutari nunc posset leuitas, impudentia, luxus, & alia uitia quæ illis iam implicantur, nouaretur quidem uita præsens, sed reponeretur antiqua grauitas, pudor, frugalitas. Ita nunc nouentur sanè omnia, modo pro falsis uera, pro nugis seria, pro somnijs res ipsa restituatur. Hoc autem fiat & cum Dei timore & cura atq; circumspectione maxima. absit audacia, absit quasi ludus humanæ leuitatis. Redigantur in meliorem formam deprauata, consensu piorum & doctorum hominum, nõ reddantur præpostera aut etiam uitiosa

uitiosa

uitiosa correctione deteriora. Videmus ubique
impulsum esse statum ecclesiasticum. Interro-
gantur etiam ij qui in primis huic metuunt &
bene cupiunt, negabunt diutius posse inconcus-
sum & saluum esse nisi fulciatur renouatione
quorundam, ut ipsi quidem solent uocare, abu-
suum. Hoc igitur si fieri omnino necesse est nisi
uidere & pati uelimus uniuersa collabi atq; rue-
re, si faciendum esse confitentur omnes, si ipsa
deniq; res prope clamitans hoc flagitat, ut susci-
piatur cura laborantis ecclesiæ, deprauatæ do-
ctrinæ, & totius administrationis corruptæ,
Cur obsecro male audiunt & uituperantur, ui-
tiorum & malorum cum detectores cum accu-
satores. Nunquam de medicatione deliberatio
suscipi potuisset nisi cognito morbo. cuius fœdi-
tatem & periculum qui ostendunt, & cupiunt
leuare uel etiam tollere, quasi ipsi immisissent
ita nunc interdum odio habentur atq; exagitan-
tur. Alicubi tamē medicamenta quæ dā incipiun-
tur adhiberi, quasi ἐπιθέματα ulceribus in
corpore impuro & corruptis humoribus refer-
to, quibus illa reddi solent maligniora. Qui au-
tem & iram Dei uident, quæ contra impietate-
tem incitata est, ac ueluti tempestas impendet,
& cupiunt redeundo ad eum unde aberratum
fuit, illam auertere, quorum corda uerbi Dei
cura & respectus tangit, Qui pietatem & reli-
gionem Christianam uerè & ex animo instaura-
tant

tam cupiunt, ij medicinam quærunt efficiacem
& salutarem toti Ecclesiæ, & libenter utuntur
demonstratis rationibus cum alligandi uulnera
huius tum penitus illam sanandi. Nam qui de sta-
tu Ecclesiæ in meliorem formam redigendo de-
liberant, qui doctrinam rectam atq; ueram ex-
petunt, et alia circumspicientes quærunt quàm
proditæ & exposita sunt ab Euangelij horum
temporum doctoribus, eos aut nihil intelligere
in negotio religionis, aut simulate & callide o-
mnia agere existimari possit. Si enim ex animo
instauratam ueram religionem uolunt, quare
non ingrediuntur planam uiam, demonstratam
studio eorum quos Deus his temporibus ad pro-
ferendam et illustrandam doctrinam Euangelij
produxit. Et, si de religione diligenter cogita-
rent, causam illius optime & præclariss. actam
esse perspicere debebant. Quare, per Deum
immortalem, resipiscamus & ad misericordem
Deum confugiamus. Pœniteat nos impietatis ue-
teris, & amplectendo ambabus, ut dicitur, ma-
nibus ueritatem hoc testemur. Patiens est, mise-
ricors, clemens Deus. Modo nos non respua-
mus benignitatem illius. Non modo gratiam fa-
cere scelerum & flagitiorum uult inuocantib.
se & eis quos ex animo pœnitet delictorum,
sed hos defendere protegere, atq; etiam orna-
re non grauatur. Deniq; paterno affectu omnes
qui se ipsi subiiciunt complectitur. Qui autem

C

subij-

subijciunt sese ipsi? Qui audiunt eum quem misit in hunc mundum ad declarandam ultimis temporibus uoluntatem Dei perpetuam, de uero & unico cultu ipsius, & copia acquirendæ salutis & uitæ æternæ. Hæc autē est uoluntas Dei, docente Christo, ut oēs cognoscētes filium & credentes in eum habeant uitam æternam: Quæ quidem ipsa, ut Christus ait, est cognoscere solum, uerum Deum patrem & quem misit Iesum Christum. Hoc loco incredibili afficior dolore, cum recordor prioris uiolentiæ atque pertinaciæ qua sanæ doctrinæ professoribus et Euangelij amatoribus in patria mea mortem et exilia inflicta fuisse scio. Et augetur plusquam ulla uerborum copia exprimi possit dolor ille, similibus actionum rumoribus. Nam & bonos & innocentes istic uiros, quod de Euangelij doctrina aliquid quærere non dubitassent, & ausi fuissent figmentis quibusdam Monachorum fide simpliciter non adhibere, arreptos accepimus, & in patibulum actos ac suspensos fuisse. Hoc quod crudelissime patratum esset, subsequuta fertur maior immanitas, unius enim ex his uxorem, se fatentem & ipsam Euangelij doctrinam amplecti, & cupere in confessione illius una cum marito oppetere mortem, narrant falsis criminibus quasi contra religionem & fidem Christianam & de beata uirgine Deipara frivole locutã prius urgeri cœptam, quæ cum nusquam

quam

quam adhærent, tamen illam perseuerantem
in confessione ueritatis in aquam submersam fuis-
se. Hæc non sunt signa pœnitentiæ, non est con-
sideratio anteactæ uitæ, non æstimatio & præ-
uisio iræ Dei quæ aduersus impietatem & su-
perbiam peccatorum iam commota est, sed acer-
bitas potius & contumacia & obstinata prauis-
tas, & contra ueritatem contentio. Utinam ad
nos alia afferantur, quod ut breui fiat Deum oro.
Quæ uerò illa? Pœnitentia & obedientia
uerbi Dei. Etiam hæc quantumuis atrociam scele-
ra remittere cupit Deus, agnoscentibus se deli-
quisse, & orantibus ueniam, & accurrentibus
ad intercessorem Christum. Qui se neminem re-
iecturum affirmat omnium qui uenerint ad i-
psam. Fugiat unusquisq; corroboratores erro-
rum superstitionis & impietatis. In hac luce
non magis illi occultari, ita conspicui & appa-
rentes non amplius excusari nedum defendi po-
terunt. Ne facinora nostra eleuare aut palliare
studeamus, neu pernicioso errore credamus,
aut non curare Deum quid à nobis fiat, aut faci-
le offensum cū uelimus nostra satisfactione pla-
cari posse. Neq; ullius scientiæ, autoritati, uirtu-
ti in terris quisquam innitatur. Non enim quid
alius sed quid unusquisq; ipse fecerit atq; sense-
rit rationem reddere Deo cogitur. Omnino co-
gitatio animi mei errans & uagabunda nunc
huc nūc illuc fertur. Ac cum respicio ad ea quæ

partim ego uidi patrari, partim audiui perpetrata esse ab ijs qui cum defendere & protegere deberent doctrinam Euangelij, aduersus hanc ab indoctis & improbis ac uel ignorantibus fidem Christianam uel etiam hostibus illius, incitari sese & permoueri siuerunt, ut pios & Euangelij promulgatores & assertores, crudeliter affligerent. Ad hæc igitur cum respicio, non bonam spem possum concipere de patriæ nostræ salute, nam in horum manu magnam ad administrationis partem esse scio. Cùm ad alios quosdã reflecto oculos & imprimis eum qui nunc gubernationis ius tenet, & pro rege imperio & moderationi præest patriæ nostræ, non possum tamen prorsus omnem spem abijcere. Huius enim tanta est clementia, tanto hic amore suos ciues complectitur, usque adeo consultum cupit quieti & tranquillitati, ut parcere potius uelit aduersarijs, quam cum aliquo hos periculo motus & turbarum punire. fortasse concedere eum plusquam oporteat dixerit aliquis. Sed hunc caritas patriæ & pacis amor si ad iniquas etiam conditiones accipiendas adigat, quis uitio illi uertere aut non ignoscere saltem uelit? Talia autem corda, non sæua, ferocia, crudelia, immania, Deus non despicit, & cum dirigit consilia illorum ad ueritatem, tum robur etiam ad agendi uoluntatem addit, constantiæ atq; fortitudinis. Pro cuius salute & felicitate omnes pij Deum
suppli-

supplicibus precibus obtestantur per Iesum
Christum Dominum nostrum. Sed de illis faci-
noribus quibus minui spem meam supra signifi-
caui, quid loquar? meminisse enim cū piget tum
pudet, nedum est ad commemorandum paratus
animus. Nam ut silentio præteream actos in exi-
lium viros opt. honestiss. innocentissimos, ere-
pta bona multis non modo nullo commerito sed
ne crimine quidem certo illorum, cuius non de-
bilitet confidentiam & animum frangat recor-
datio cædium & atrocissimorum suppliciorum
quibus in patria nostra integerrimi & sanctissi-
mi viri affecti fuere, factione quorundam super-
borum & contemnentium uel saltem non admo-
dum uenerantium uerbum Dei. Fuit crematus,
quæ mors profectò & specie & cruciatu hor-
ribilis est, Canonicus quidam de familia eorum
qui latine regulares uocantur, uerè religiosus
uir. permansit Dei auxilio, in sententia &
confessione ueritatis, cum sua maxima immò
Christi confirmantis eum, gloria, & aduersa-
riorum dedecore atq; infamia. Pari poena affe-
ctus alter fuit neq; pietate & studio ueritatis ne-
que integritate uitæ illo inferior. Quod nam
ob scelus? Ingens & nefandum sit necesse est,
propter quod igni ille adiudicaretur. O mise-
ros interfectores huius & ipsum beatum. Dixe-
rat iniuste & immeritò accipere pensiones de-
cimarum eos qui non solum operam non naua-

rent Ecclesie, sed huic etiam turpitudinem & damna conciliarent. Ob dictum igitur & tale quidem dictum, hanc ignominiam, hos cruciatus, hanc mortem perpeti atque obire eum oportuit? Quid ego de te iam poene dolore & lacrimis consumtis loquar, Patrici? Qua oratione de tua doctrina, probitate, uirtute, sapientia, & ante omnia pietate & studio religionis Christianae, utar? Quibus uerbis describam & constantiam in confessione ueritatis, & omnibus propter hanc aduersis tolerandis fortitudinem tuam? Quo pacto non quidem tuam migrationem sed desertionem nostri, & tuorum immo Christi inimicorum scelus in te commissum & crudelitatem deplem? Te ne hac generis nobilitate, tanta dignitate praeditum, tot honoribus perfunctum, tali in existimatione apud uniuersos, corripere & prosternere potuit audacia & tyrannis impietatis? Vidi ipse qui haec scribo, produci hunc uirum eum in quo laudando iam laudis me uocabula deficiunt, uidi ego inquam hunc, produci quasi in scenam ante eos qui utinam non astrinxissent sese hoc tam nefario scelere iniustae caedis, qua hominem, ut nihil iam dicam amplius, Christianum e medio sustulerunt. Apponebatur quidam qui cum illo uerba faceret, immo qui & illuderet & malediceret apto. Hunc incitant & iubent uehementi & aspera oratione uti, Increpat ergo hic uere histrio

strio

Strio & actor alienæ fabulæ Patricium acer-
bius et hæreticum appellat. Ad quod falsiss. cri-
men, nihil ille respondit aliud, quàm testatus a-
nimum & conscientiam criminatoris rem aliter
se habere: Scis tu inquit frater me Hæreticum
non esse. Obsecro nunc saltem cognoscite quan-
ta sit uis ueritatis. Ita perculit hæc uox animū
accusatoris, ut pauciss. post dies moreretur.
Rapitur inde ad supplicium Patricius, alliga-
tur ad palum, incenditur ignis, accedit Mona-
chus, hortatur ut nunc saltem animum mutet.
Ad quem subridens Patricius, cum licuerit huc
non accedere mutata uoluntate, tu nunc serò
suades, ut aliter sentire incipiam cum me uideas
propemodū flagrare. Quin tu uerò pro confir-
mandis tuis, inquit, ad quæ me reuocas, digitulū
inseris in flammā qui ardeat? Ita incendio undi-
que oborto martyr Christi Patricius, per sum-
mos ille quidem cruciatus, sed gloria Dei gra-
tiæ maximo felicissimo fine functus fuit uitæ
suæ in terris. Vtrum sanguinis huius clamores
nullos esse, an non exaudiri à Deo aliquis cre-
dit? An aliorum querelæ non curantur, qui &
mortui & uiui, non quidem ad ultionem sui pro-
uocantes DEVM, sed ad sanctissimi nominis
protectionem & celebrationem cohortantes,
precibus flagitare non desinunt. Quæ igi-
tur spes salutis? quid ut conseruetur patria no-
stra fieri oportere aio? Vt unusquisq; recedat

de uia prauitatis, impietatis, errorum, scelerū,
ducatur pœnitentia uera peccatorum suorum,
confugiat ad propositum unicum saluatorem,
spectet solam & propriam imaginem misericor
dis Dei expressam in filio ipsius Iesu Christo.
Próinde & sibi quisq; cognitionem ueritatis pa
ret, & uoluntatem defendendæ illius suam exci
tet atq; confirmet, & non istos aurium fricato
res ac uersutos et sophisticos, sed uiros graues,
amantes ueritatis, simplices, candidos, ad se alli
ciat, & secum habeat atq; foueat, ut communi
consilio rebus laborantibus succurratur. Nam
quod dicere aliquis forte uelit se tantam rem nõ
intelligere, & permittere alijs has deliberatio
nes, se sic esse animatum ut non cogitet repugna
re ijs quæ communiter ac legitime decreta fue
rint, hoc nihil est. Primum enim nescio an spe
randum sit fore unquam ut aliquid communiter
& legitime decernatur in tanta & rerum confu
sione & hominum furore atq; improbitate. Ex
pectare autem hunc euentum quàm periculo
sum sit quis non uidet? Sed neq; hæc ignoratio
ullo pacto excusari potest. Nam ignorant ali
qui quæ percipere & discere nolunt cum tene
re & scire deberent. Hos prætexentes ignora
tionem in defensione sui, quis ferat? Quem au
tem magis nosse atq; perspectam habere doctri
nam Christi & Euangelicam ueritatem oportet,
quàm episcopos & præpositos ouili huius?

Quidam

diuinus agricola affuturus est conatibus piorū.
Qui aliud consulit atq; suadet, is aut simplici-
ter insanit, aut suis cupiditatibus excæatur. Et
fuerunt quidam paulo antè acres disputatores,
quorum alius hunc alius illū ecclesiæ quasi mor-
bum palliare, aliquis etiam omnia uitia tegere
studuit. Malè autem agitur cum ægroto, cuius
morbi occuluntur & dissimulātur potius quàm
curantur, præsertim ij qui prius sæpe hominē
iugulant quàm mutata uoluntate medicus accer-
si possit. Consideremus enim istorum disputatio-
nes. quid unquam tam absurde gestum aut incoa-
tum fuit, quòd non defensores reperiret? Quæ
somnia Monachorum non recepta fuere & ap-
probata? Quid tam inepte ac ridiculè usurpa-
tum fuit, cui non applauderetur? Accessit assen-
tatorum audacia. Quid tu? remittere ne aliquid
cogitas? si latum unguem concesseris, cubiti iam
spacio repelleris, hoc etiam ferre uolueris, ulnæ
longitudo amittenda sit. Immò tu quidem per-
nitiosè & mendax assentator & sycophanta fal-
sum memoras. Nam nulla reperietur uia neq; ra-
tio qua quisq; omnia retinere possit, qua tutus
esse, qua firmus consistere, nisi cedendo ueritati
& locum dando uerbo Dei, et amplectendo Eu-
angelij puram doctrinam, et refugiendo ab im-
pietate & peccatis prioribus. Tu autem qui po-
tentes contra diuinum numen & Christi regnū
instigas, non illorum salutis & incolumitatis so-
licitu

licitudine atq; cura tangeris, sed tuæ gulæ, uen-
tri, abdomini metuis. unctas culinas, struices pa-
tinarias, lautas cellas spectas, tibi in cultu uerita-
tis, pietatis, sapientiæ, uirtutis, nullum prorsus
locum fore intelligis. Quid ergo ego dicam aut
quid moneam, libet exclamare uoce regia. At
nunc tandem ô uos qui ad gubernacula ecclesiæ
& ciuitatum sedetis, nunc tandem sapere inci-
pите. Intelligite & quo uestræ & quo omnium
res, salus, dignitas in discrimine uertatur. Cum
timore subijcite uos Deo uero æterno, patri sal-
uatoris nostri Iesu Christi, & hoc solo freti con-
fidenter principatu uestro fungimini. Accurri-
te ad hunc filium & excipite illum ut solum do-
minum osculo obedientiæ, ut placetur Deus &
auertatur iusta ira illius, quæ breui quasi flam-
ma corripiet impios, & consilia atque rationes
eorum pessundabit. Heu mihi quanto cum uer-
borum acerbitate hæc exardescens, quæ non ma-
gis cohiberi se patitur, ira Dei qua conflagran-
tur iã uniuersa, proponitur? Ut ignis qui siluã
corripuit, & ut incendia montium, ita ardebunt
hostes populi tui, cū ingruet tēpestas iræ tuæ.
Quanta autem est insania ita incertis & inex-
ploratis rebus grassari in eos qui ueritatem se
profiteri dicunt? Nam si quis manifestæ & no-
tæ ueritati repugnat, eum relinquamus iudici
suo. Sed quàm multi sunt, qui ut dixi eos qui
profitentur se ueritatem dicturos, neque audire
uolunt,

uolunt, neq; cognoscere quid memorent. Et uel
arripi atq; interfici, uel in exilium agi iubent.
Quia, ut loquuntur, nouam doctrinam afferāt.
Quid uerò si hæc doctrina antiquiss. est aposto-
lorum & Christi ipsius? Quid si arripitur pius
pro impio, innocens pro fonte? An Deum iu-
stissimum iudicem & certiss. uindicem omnium
hos furores perpetuo impune laturum esse exi-
stimamus? Saltem caute sese in tam arduo atque
grauis negotio gererent. Nemo in equo aut do-
mo uel paranda uel alienanda ita festinat, ut nõ
prius studeat quid boni aut mali de contractu
existere possit considerare. Quid autem pericu-
li in hac parte inest omnino cum illo comparan-
dum? Si in tenebris dicerentur esse fures & ir-
ruere aliquis uellet armatus, ac moneret alius
eodem & fratrem ipsius abijisse, An non mallet
etiam furibus, qui saperet, parcere quàm com-
mittere ut per errorem fratrem forte trucidat-
ret? Dicuntur aliqui contra ea quæ iam usitata
sunt differere. non hoc spectetur tantũ, sed quæ
ratur, iure ne an iniuria, uere an falso. Nam re-
prehendere aliquid per se uituperandum &
damnandum certe non est, cum nihil sit castiga-
tionibus in uita utilius, sed temere, perperam,
immerito reprehendere, ferendum esse non pu-
tatur. Non possum negare multa nunc fieri tur-
bulente, sed quanta iniustitia est, omnia quæ con-
tra uoluntatem potentum fiant pro turbulen-
tis habe

tis habere. quid si inter hos unus saltem pius, bo-
nus, fidelis, Christianus, opprimatur, lædatur,
occidatur, an sanguinem illius non luet qui pro-
fudit? profectò luet, nam propter Christum ij
qui huic crediderunt Dei filij iam sunt, neq; ho-
rum iniurias ac cædes impune ferre poterit cœ-
lestis pater. Quare caueat & prospiciat sibi
quisq; ne manus afferat dilectis & electis Dei.
Sed nimis uerborum iamdudum me facere sen-
tio, de re quàm cogitatione & mente compræ-
hendi & explicari necesse est. Quòd qui facere
uoluerit, ei dictum est satis superq;. Qui nolue-
rit, in eo nulla uis & copia summæ eloquentiæ
profuerit. Nam hæc non sunt uerborum sed ef-
fectionis sancti spiritus. Verborũ autem est in-
diatio & nuntiũ. Vt scriptum est: Quomodo
crediderint nisi annuntietur? Vt igitur tandem
concludam scriptum meum. Ego qualicumq; in
existimatione apud uos, certe ciuis uester, sup-
pliciter omnes & singulos oro, ad genua ue-
stra me abijcio, per Deum ipsum & Dominum
nostrum Iesum Christum, per patriæ salutem,
per unicuiusq; uitam atq; caput, obtestor, ut a-
perire oculos, & cum priorum meminisse tum
præsentia intueri uelitis. Quàm multi sint su-
perioribus temporibus ob leuissimas suspicio-
nes patria eiecti, non est obscurum. quidam libe-
riores atq; fortiores etiam uita priuati fuerũt.
Agnouit rex illustris memoriæ Iacobus ante-
quam

quam

quam moreretur, à se uim et iniurias multis illa-
tas fuisse, iussit exules ob Euangelij confessionē
reuoari, & ut à se ob hoc facinus iram Dei a-
uerteret, laborauit. Vos obsecro uidete & at-
tendite, ne culpa aut socordia uestra fiat, ut ira
Dei iustissima, quàm pœnitentia quamuis sera
rex Iacobus amouere conuersione ad Deum sua
tantopere studuit, ea in uos ob neglectiōem ue-
ritatis, aut etiam oppugnationem huius, & ad-
uersationem Euangelij, redundet atq; reuolu-
tur. Repetatis quæso animis uestris paulo etiam
uetustiores regni Scotici successiones. Inuenie-
tis in illis non obscura signa diuinæ ultionis.
Malo enim ad propria quàm externa uestram
considerationem remittere. An uindicturū in
præsentia impietatem & scelera Deum non pu-
tamus? Immò hoc ille faciet magis atq; seuerius,
quo clementius & mansuetius ad pœnitentiam
& reditum in uiam nos uocat atq; inuitat. Iubet
reuertere ad se, mittit qui uocent. Horum uerba
ne irrideantur, neu ipsi repellantur. Quid Ni-
niuitas conseruarit notum est, & nobis ad imi-
tandum propositum. Venit in tantam ciuitatem
opibus, uiris, potētia florentem, unus homo ex-
ternus, & clamat, Deum irasci impietati & sce-
leribus illorum, & prædicit ultionem numinis.
Quid faciunt Niniuitæ & primus quidem o-
mnium rex? Credunt uerbo prophætæ, ducun-
túrque pœnitentia & supplices confugiunt ad
miseria

misericordiam & consequuntur ueniam. Hic enim est cultus Deo gratissimus credere uerbo ipsius, & obedire, & subiici ipsi, & implorare misericordis Dei opem. Nolite pati uos decipi sermonibus mendacibus eorum qui clamant, nouitatem esse turbulentam huius doctrine. Antiquissima enim uel potius sempiterna hæc est, nam prædicat Iesum Christum filium Dei uenisse in mundum ut saluos faceret peccatores, & in fide huius accipi remissionem peccatorum. De hoc etiam Moses scripsit, ut ipse ait, scripserunt omnes prophetae. hanc perpetuam & consentientem atq; unam omnibus sæculis doctrinam quis nouam dixerit? Illa potius ut sunt, ita appellentur noua, quibus hæc doctrina contaminata & obscurata fuit, inuectis uel audacia, uel ambitione, uel malitia, uel superstitione eorum, quibus cultura uineæ Domini commissa fuerat. Quid enim hi fecerunt aliud quàm illi mercenarij in parabola Euangelicâ? quàm multos missos à domino uineæ trucidarunt, ut ueteres illa Pharisæica collegia Prophetas. Quæ quidem uis & iniuria filio ipsi infertur, cuius est corpus hoc communitalis ecclesiasticæ. Ne contendamus aduersus Deum contra conscientias nostras. Non solum prædicta Niniuitis uastatio & populatio & subuersio urbis maximæ & regni potentissimi, sed & postea sæpe & nostris temporibus, eadem impietatis & scelerum pœna pro

na pro

na proposita fuit. Sed quomodo illi tum uitae
runt exitium, ita & nos, si prorsus auerti ne-
queat, differre studeamus. Agnoscentes peccata
nostra, et odio persequentes ante actam uitam,
& prosternentes nos ad pedes Christi & adhæ-
rentes fimbriæ uestimenti illius, neque aliò ocu-
los, mentisue intendamus quàm in hunc solum
& unicum saluatorem & liberatorem Deum et
Dominum nostrum. Ita & nostri misertus Deus,
cuius mansuetudo & clementia est immensa, a-
uertet & à nobis merita supplicia in hac uita,
et per mortem ad uitam perducet nos sempiter-
nam. Cui soli uero, æterno, omnipotenti,

misericordi Deo patri, filio, &

Spiritui sancto, sit laus,

honor & gloria,


in secula

infi-

ni-

ta

A M E N.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

STAMMEN

934 m

typogr. bibl

934 m

